Opuscula

ANNIBAL SARMATICUS, D. STANISLAUS CASIMIRITANUS,

Canonicus Regularis Congregationis S. SALVATORIS Lateranensis;

In perniciem Omnium Vitiorum

JURATUS,

& ad certandum contra hostes Animæ, *in Arena Religiosa, continuò*

EXCUBANS.

Recurrente Annuâ Solennitatis Suæ Die,

A

M. BOGUSLAO STANISLAO BROMIRSKI,
Philosophiæ Doctore & Professore,


In Canonica Sacratissimi Corporis CHRISTI Casimiriæ ad Cracov:

DEMONSTRATUS.

Anno Domini 1716. Die 3tia Maij.

CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.

IN GENTILITIUM STEMMA
Illustrissimæ Domûs
SZEMBECIANÆ.



Cursibus alternis nituntur ad Astra CAPELLÆ,
Illis Purpureas æmula Flora ROSAS
Sternit; cur quæso? nisi, quòd Virtute propinqua
Cælis, florescit SZEMBECIANA DOMUS.

ILLUSTRI ac MAGNIFICO DOMINO, D. ANTONIO FELICIANO De Słupow SZEMBEK, TRIBUNO OSWIECIMENSI, VICEPALATINO CRACOVIENSI, PATRONO ac MECÆNATI Colendissimo.

NOvus Sarmatiæ ANNIBAL, D. STANISLAUS CASIMIRITANUS, *multiplicibus in Religiosa Arena trophæis conspicuus, post operosos labores,* IUIS *tandem Gentilitijs* ROSIS *ornari & coronari desiderat.* ILLUSTRIS & MAGNIFICE DOMINE. *Jam Ille quidem immarcescibilem pro meritis recepit æternitatis Lauream; & hinc tamen plausum gloriæ suæ adaugendum sperat; si de* TUO ROSETO *floridum sibi decus accesserit. Admittes credo Eum ad* TE *gratiosè, gestaq; illius fortia miraberis, ac æstimabis, cùm Tibi quoq; sicut & Toti* ILLUSTRISSIMÆ SZEMBECIORUM FAMILIÆ *Heroica pro* DEO *& Patria in publico Orbis Poloni Theatro exantlare opera solenne est, & planè innatum. Viderunt anteacta secula, quot* ILLUSTRISSIMA *hæc* PROSAPIA *fortes*

 Atlan-

Atlantes, insignes dexteritate Hectores, invictos animi cõstantiâ Achilles, in tutamen Orbis Sarmatici, cælitus provisos numeraverit. Priscos Ejus Aborigenes, nè in longum excurrat, consultò reticet calamus, cum Eorum Nomina celebres fasti pridem non tantùm posthumæ memoriæ, sed etiam ipsi Cælo inseruerint ac consignaverint. Quod in cæteris ANTENATIS TVIS vidit Orbis, hoc in PETRO ILLVSTRI AVO TVO, VIRO immortalibus factis conspicuo miratus est, & veneratus. Dulcissimi Progenitoris Tui STANISLAI Burgrabij Cracoviensis, Magnorum in Patriam meritorum indelebiles hucusq́; legit Characteres; ad quos clariùs exprimendos Nominisq́; Tui inscribendam gloriam, ex Atavis Proavisq́; derivatus TARNOVIORVM, ZELECCIORVM, TOMICCIORVM, KORYCINSCIORVM, Sangvis copiosiùs influxit. Lucent famosæ dignis operibus Ceræ ILLVSTRISSIMI CASTELLANI Camenecensis PATRVI Tui, nec ad ferales fatorum ignes liquescunt. Nitidâ luce corruscant Cineres ILLVSTRISSIMI DAPIFERI REGNI, PATRVELIS Tui, qui Aureæ libertatis Hyblâ dulciorem favum ex faucibus Hyperborei Leonis eripiens, Ipse amaræ Libitinæ cessit in exuvias. Nititur, & plùs ultra nitetur Reipublicæ Polonæ salus, firmissimis in Słupow Columnis Patruelibus Tuis, nimirum CELSISSIMO PRINCIPE ARCHIEPISCOPO Gnesnensi, LEGATO NATO, & Regni Poloniæ PRIMATE, in Cujus Tyaratum & verè Aureum CAPVT, totâ Patriæ devoluta moles, omnesq́; circa bonum publicum, commigrarunt solicitudines. ILLVSTRISSIMORVM EPISCOPORVM, Chełmensis ? & Paphensis, SVFFRAGANEI Cracoviensis, huc accedunt Nomina; in quorum pectoribus Publica omnium vita respirat, & cordibus animatur. Spectat Polonus Orbis Amænitatem SZEMBECIARVM ROSARVM in ILLVSTRISSIMORVM & EXCELLENTISSIMORVM CANCELLARII & DAPIFERI Regni Purpuris, earumq́; suavissimum odorem langvens Patria sibi salutarem haurit ac experitur. Non dispar quidpiam de Germanis FRATRIBVS Tuis, ILLVSTRISSIMIS, EPISCOPO Livoniæ, No-

minato

minato Posnaniæ ; CASTELLANO Vislicensi ; & Burgrabio Cracoviensi *sentire licèt ; quorum alter publicâ Legatione ad CÆSARVM Majestates , gloriosè ac feliciter peractâ, virentes Pacis Orbi Lechico attulit Oleas; Alij easdem gemmeo laborantium circa integritatem libertatis Frontium sudore irrigatas, Polonis Campis implantare non desinunt. Ad Complementum aliorum gloriæ hoc dicere sufficiat, quòd SZEMBECIANAS ROSAS Virtus ipsi Cælo vicina tàm altè lateq; excrescere permisit, ut jam suavissimâ Illarum fragrantiâ Totus Sarmaticus Orbis perfundatur. Teipsum jam hîc venerari gestaq; Tua cedris immortalibus dignissima huic inserere paginæ operæ pretium est, ILLVSTRIS & MAGNIFICE DOMINE. Quam Aborigenes Tui calcârunt meritorum semitam, eandem Tu quoq; non degener Illorum Successor heroicis vestigijs premere non desistis. Vix enim florentis Juventæ transegisti ætatem, jam splendidissimam virtutum luce ingressus es meritorum Arenam; dum per ROSARVM Appiam ad hæc, quæ Indolem ad magna quæq; natam decent, festino passu cucurristi. Post privatam intra domesticos Penates institutionem ad Cracium Parnassum illicò Te contulisti, ut Ingenium Tuum, cujusq; fortunæ & gloriæ capax, Princeps Regni Lechici Schola lectissimô Sapientiæ cultu imbueret & expoliret ; ac tandem ad Oracula & salubria consilia in commodū Patriæ suo tempore depromenda, aptissimum redderet; ubi dum morabaris, quantùm Iagellonicis Laureis decoris, à Tuis ROSIS accesserit, ipse Apollo cum Camænis palàm testabantur. Peractô studiorum curriculô, Martialibus operibus mentem Tuam devovisti, ut grandia fortitudinis Majorum specimina propriæ virtutis documento & exemplo augeres, detonantem hostilium armorum procellam, generoso pectore, & imperterrito ausu sustinendo. Hinc excelsæ mentis Tuæ heroiciq; pectoris decora cùm ubiq; paterent ; Illorum suavi illiciô erga Te traxisti animos & corda Illustrissimarum in Regno Polono DOMVVM, dum sociali nexu NIELEPCIORVM Splendores in Domū Tuam derivâsti, CZERNIORVMq; in Castellano Oświecimensi ROSIS Tuis adjunxisti Decora. Sed præter hæc, quæ Te circumstãt Familiarū Lumina, nõ destitisti, de*

 Tuo

Tuo fastos gloriosis factis implere; dum publicis Commissionibus Radomiam, tot Legationibus ad Comitia Varsaviam, & ad Regum Majestates cum plausu & delicio Omnium peractis vacans, prudentes sensus & oracula in emolumentum Patriæ fudisti, Teq; totum bono publico non privato commodo promovendo dedicasti. Occurrunt & alia longiori recensenda syllabo meritorum virtutumq; Tuarum specimina; sed ea sub Rosa profundioris silentij recondere voluit tenuitatis suæ cõscius Oratoris Calamus, benè sciens, Te Solis Geniũ imitari, qui magnus esse mavult, quàm videri. Ad Te jam Divinior ANNIBAL D. STANISLAVS CASIMIRITANVS *recurrit* ILLVSTRIS ac MAGNIFICE DOMINE; *ut desideria ejus ROSARVM* Tuarum *sertô corones, Virtutesq; Ejus tenui suadæ penicillo adumbratas, sub patrocinio Magni Nominis* Tui *in lucem publicam prodire permittas: non vana concipiens omina, quòd Ille pariter pro Domo* Tua *in supernis sedibus corã DOMINO Exercituum militabit, Patronũq; aget, ut Hæc cũ Propagine Sua, totaq;* ILLVSTRISSIMA SZEMBECIORVM FAMILIA *omnia infesta felici auspicio vincens, gratiarum Cælestium & è voto fluentium successuum influxibus cumuletur, ROSISq; immarcescibilibus perpetuò coronata floreat, vireat ac vigeat. Ita precatur*

Magno Nomini Tuo

addictissimus Cliens

&

servus,

Author Operis.

ORATIO.

AUream Regnorum felicitatem, firmos Imperiorum Status non aliunde meliùs quàm à generoſis Heroum pectoribus derivari, non Delphici Tripodis, nec fatidicæ Cyrrhæ Oraculum eſt. AA. Neſciunt ullatenus nutare in ruinam Imperia, ſi adamantinis fortium Virorum baſibus non deſinunt ſuſtentari. Nimirum animoſus in millena bellorum diſcrimina Agamemnon, quoties Martiali percitus entheo galeam induit, toties infenſum & immanè fremētem hoſtē ferociâ exuit. Magnanimus Ajax quoties impenetrabiles telo & retūdendis impetibus pares opponit Clypeos, toties ſtabilem Patrijs penatibus fortunam ominari ſolet. Bello innutritus Achilles, dum ſe victrici metitur in haſta, non tantùm unus Telephus fatalem illius ictum experitur, ſed ipſa etiam decenniô ſolùm expugnabilis Troja, triumphalem ejus manum expaveſcere cogitur. Poterat quondam Auguſta Heroum Parens Sarmatia, veluti Roma; fortiſſimos Scipiones, bellaces Julios, in Hecatomben Marti, & Victimam Libitinæ vitam propriam litare non dubitantes Curtios, longâ ſerie recenſere: cùm Polonæ Matres Lacænas imitatæ, bellicis laboribus idoneam felici ſidere parerent progeniem. Triumphalis fama ipſos planè Orbis exceſſit limites, dum extra eos Nobiles Lechicæ Gentis Spiritus heroicis proceſſerunt operibus, ad quorum conſpectum, vel ipſe exoticus, feſſus ſub Rhodope ſua non ſemel gemuerat Mavors. Quodſi anteactis Seculis bellicæ ſuæ gloriæ ſibi aſſurgentes videbat adoreas, certè & præſenti ævo hanc ſortem meritò jactare poteſt, quòd nondum tam effæta facta eſt (abſit verbo jactantia) quin pares Heröas in Theatro Orbis poſſit præſentare. Adhuc Illa benigno Superûm annuente favore, non viles Epæos, vel umbram ſuam pertimeſcentes Piſandros, ſed fulmina belli Alexandros, Codros, Epaminondas, Coclites numerat, quibus, velut olim Romanis, ſicut fortiter agere; ita fortia pati pro libertate ac integritate Patriæ, palmare

 decus,

decus, summumq; Cordis delicium est. Sed non solus duntaxat Politicus Lechiæ Orbis bellis innutritos Viros computat, si quis per Religiosum Orbem curiosam quoq; circumferat pupillam, plures clarioribusq; Victorijs insignes Heróas poterit mirari ac venerari. Spectantur in abditis Religionum locis fortes Alcidæ, quibus infernales Antheos, truculentosq; Diomedes cum septicipitibus Hydris vincere, solenne est. Videntur in Anachoreticis umbris illustres Camilli, pugnaces Lisimachi, superandis Averni leonibus pares, dexterrimi Scævolæ, non tam manus, quàm corda propria flamis ardentibus, pro DEO & Cælo sibi aduri permittentes, alijq; longâ seriè recensendi Sanctiores Hectores, magnitudine Animi, bellicæ fortitudinis Activitate, Victoriarum felicitate, & triumphorum gloriâ in Arena Vitæ Asceticæ præcellentes. Porrò si Annibales etiam vincere peritos, trophæisq; claros videre libet, nec istos deesse arbitreris. En adest Novus Sarmatiæ ANNIBAL, quem hodie nostris conspectibus sistit Augusta CANONICORUM REGULARIUM LATERANENSIUM CONGREGATIO, D. STANISLAUS CASIMIRITANUS. Nobiliorem tamen & Gloriosiorem illô esse credite, quem Carthago genuerat: Illius enim Virtutem bellicam Thrasymenus & Cannæ tantùm viderunt, hujus fortitudinem etiam Orcus sensit, Cælum stupuit. Ille in ruinam Romæ, ad cujus portas densis Armatorum Catervis stipatus constitit, conspiraverat; hujus potentiam non tantùm hostes varij, sed etiam terribiles omnium vitiorum phalanges sibi infensam nimisq; gravem sensêre. Clariùs planiusq; hoc totum mea tenuis exprimet Oratio, dum D. STANISLAUM CASIMIRITANUM Novum Sarmatiæ ANNIBALEM, in perniciem omnium Vitiorum Juratum, & ad decertandum contra hostes Animæ semper excubantem, brevi eloquio demonstrabit. Tu tantùm Divinissime ANNIBAL, Oratorem honori Tuo militare volentem Cælestis gratiæ suppetijs confirmare & erigere digneris, ut digna virtutibus Tuis promere valeat Elogia: Vos autē VV. OO. AA. attentos date animos; vera loquar, & hoc ipsum fidem dictis meis apud Vos impetrabit. quod supplex posco.

Antequam immortalia, jamq; fastis beatæ Æternitatis inscripta Sanctioris ANNIBALIS Opera, tenuitatis suæ conscius evolvat Genius, priùs Illius Vitæ Exordium placeat contemplari. A. A. Fuerit sanè ea olim jactabundarum & nimio fastu tumentium mentium insania, quòd mortales inter quotidianas Libitinæ Hecatombas positi, immortalia cogitare, & humanæ sortis oblivisci voluerint; fuerint, qui Matres Deorum Berecynthias Augustasque Junones inter natalitia decora jactaverint, se de genere Divorum oriundos, imprudentèr nimis ac impudentèr gloriati sint: parùm hoc certè est ad gloriam: quasiverò nesciamus etiam

Joves

Joves ipsos locô Augustaliũ, Dictæi Montis in antro inter quercea peristromata latuisse; benè novimus & ipsos Apollines apud Admetum Regem Armenta pavisse, priùsquàm Metam Divinitatis attigisset. Facessant hinc talium Natalia: Sanctiori Nostro ANNIBALI Augustiores adscribendi Natales: cælestes planè, quia à Virtute cælitùs orta, Verosq; splendores à Patre luminum in perpetuum non extingvendos mutuante, derivati. Parentes ejus si requiris? MATTHIAM Senatûs Casimiriensis Consum & Hedvigem Regalis Nominis Matrem esse sciveris. Sanctior Noster ANNIBAL pijssimum hunc natus Amilcarem, quantô fecit Penates suos, Civitatemq; totam tripudiare triumpho, quis exasse explicet? nec tamen injusta fuerat hæc Causa triumphi: Fortè illum Bellatorem evasurũ non vano augurio præsagiebant, quidni ei festiva ante tẽpus intonuissent acroamata? Et certè, si olim Herculem Monstrorum Domitorem jam Jove dignum infantiles cunæ demonstraverunt, nec ANNIBAL Noster sine ejusmodi dexteritatis Auspicio. Adhuc ille angustis stringebatur fascijs, & jam non mediocres palmarum fasciculos, sed integras Victoriarum laurus sese recepturum spondebat. Gemina delicatæ frontis luminaria vix benè in lucem intorquere cæperat, & jam Martiales ignes cum insignibus generosæ mentis indicijs spirare videbatur. Solutus tandem fasciarum vinculis, vix tenellas palmulas levare didicerat, & jam concitato virtutis impetu ad palmares sese proripiebat adoreas. Paucis multa: necdum ex Ephebis excesserat, & jam se Phœbo dignum demonstravit. Porrò si ad laudem non modicùm refert: quo solo, Poloq; quô locô, & quâ regione nascaris: Sarmaticus Noster ANNIBAL, dum in deducta à Campo Polonia suos exorditur Natales, satis habet; quia hôc ipsô ad Campestrem se Natum esse gloriam profitetur. Hæc ex fortunatis Natalibus, cætera ex Nativa illius Virtute, derivata Heroicæ Indolis documenta spectare libeat. Quodsi Punicus Amilcar Novennem adhuc ANNIBALEM ad Sacramentum militare, adegisse probatur, ut se Juratum Romanorum hostem declararet; Noster quoq; Lechicus ANNIBAL grandiori imperante Amilcare Parente suo similia explevit, ad Aras stetit, Thura odorifera ingessit, jurans, quòd ab Illius Martiali flamma non una in cineres abitura fuerat vitiorum Saguntus. Juramento Te jam obstrinxisti STANISLAE, ergo ut Tuo exasse correspondeas etymo, ut Tua laus stet, Orbiq; Polono constet, fidem exsolve. Nobiliorem jam conscende Athleticam, luculentiora indolis Tuæ documenta daturus. Paret consilio Sanctior ANNIBAL, & in designata sibi Academici Orbis consistit Arena. Est quod Tibi gratuleris felicior Amilcar Progenitor ANNIBALIS pijssime, vide, quid jam agat Tyro hic & exinde cõijce, quid nõ faciet, imò quid faciet veteranus? en

 Præses

Præses Musarũ Apollo strenuè in literaria decertātē Acie miratur; & pharetrâ sagittas recondens, triumphali Sanctioris ANNIBALIS substernit calcaneo. Nempe vix elementa benè loquendi ediscere cæperat STANISLAUS, & jam in eo figura benè compositi Animi Speciem Vivam fortissimi Macedonis vel Hectoris exprimebat. Declinationes benè noverat, dum declinavit à vitijs. Virtutes Cælo dignas, quomodo conjugare sciverit, ipsa rectefactorum Ejus conscientia demonstrabat. Solos tantùm casus neglexerat, quia in probitate cadere grande nefas reputabat. Tam intensum ad docta prælia ardorem, nec ipsi Castalidum fontes, dulciores propinātes undas, extingvere poterant, imò continuò majorem & plusquam Tantaleam in eo Orexim excitabant. Porrò ut nihil omitteret, quod peritiæ strenui cujuslibet Militis incumbit, priùsquam vasta peragrasset flumina, in Tullianis eloquij fluentis Vires experitur; ac tandem illa emensus, lubricos etiam Stagyritici Euripi pontes, dextrô Vestigio & cum plausũ spectantium Unico labore Prodromo superavit. Hîc jam subsistere sufficit alijs ad gloriam, sed non STANISLAO; ex privata Palladis acie in publicam Sophorum Orchestram indefessus Athleta progreditur, vidisses Eum inter dispositas per Stoam sub Auspicijs Ducum Purpuratorum, disceptantium Cohortes, felicissima ingenij duella peragentem, ad Generosos Ausus, eruditis Sapientum jurgijs accendi; audisses, quot rationum conflictus, tot Telephi hastas vulnerantes animum & sanantes vibrantem. Viderat Apollo Cracius de bicolli Parnassi clivo gloriosa ejus ingenij certamina, hinc, ut ea palmaris sequeretur Honor, emeritum teneri ANNIBALIS legitimè certantis verticem, Philosophicis redimivit Corymbis. Huic ille ut magis responderet Honori, intensiùs adhuc Martiales arsit in ausus. Progredere felici passũ, quò Te Tua Virtus vocat STANISLAE; & quia contra grandem scelerum Trojam, pugnaturus es, ut evadas fortior Achille; sub sanctiori Tibi militandum esse Chirone arbitreris. Perge velociùs, en in Porta Academi Cælestis Chiron, Te Verum ANNIBALEM expectat. Peritissimum Eum existimes, utpote sub quo Doctores Togatæ Militiæ CANTIJ die noctuq; illi adhærentes profecêre; probati in Religiosa Arena Agonothetæ LIPNICIJ, GEDROICIJ, BONERIJ, SVENTOSLAI Eximij Victores evasêre. Paret, anheloq; Spiritu currens Illi se erudiendum tradit, taliterq; sub Illius ductu proficit, ut adhuc ipse Discipulus manens, jam aliorum Magister hâc in parte esse meruerit. Hinc Sanctior ANNIBAL STANISLAUS, limitaneum Herculis ad Gaditanas Columnas non plus ultra ignoraverat, qui angustum capacissimæ Virtutis suæ literarium Stagyritæ Campum reputans,

vastio-

vastiorem inquirit, dum Augustam CANONICORUM LATERANENSIUM REGULARIUM CONGREGATIONEM ingreditur. Huc euntem sequi fortasse præsumes hebetior Geni? Sed non est tuarum virium quod optas! Tu quoq; lingva vix balbutire docta, illuc tendere nè cogites! Hærere hic in laudibus STANISLAI omninò debebitis, quia Vobis heroica illius opera Isthmum & Propontidem arduam sanè objiciunt. Stare Vobis satius erit, quàm in gravi hoc negotio gravi is succumbere. Faceret Genius, non recusaret lingva, nisi aliud Virtutes illius svaderent. Iterum ergo STANISLAUS Novo & Præstantissimo Duci AUGUSTINO auctoratur, ac ut se jam verum ANNIBALEM luculentiùs demonstret, militare fidei Sacramentum renovat & confirmat, dum se capitalem non Romæ, sed vitiorum hostem trinô Religionis votô obligat & profitetur. Timete Vobis scelerum fæderatæ cohortes, atrasque Erebi repetite latebras, quia Sanctior Noster ANNIBAL fortes, sed vobis æmulas parat & instruit Virtutum Myriades. Canat jam tubalis fama Punici ANNIBALIS victoriam ad Cannas reportatam, quòd quinquaginta millia Romanorum in cruenta Martis arena fuderit; ex superatis tribus nonnisi domesticis hostibus gloriosior Nostro ANNIBALI laudis adorea assurgit. Heroicum istud negotium quis ambigat, tunc triũphare:

Dum caro perpetuò, dum Mundus Marte lacessit,
  Prælia cùm Dæmon sangvinolenta movet.
Quis firmis tribus hisce queat par hostibus esse?
  Alcides nequeat cùm superare duos.
An par esse queat tribus his infirma locusta,
  Atq; cinis tenuis pulvis & exiguus?

Fatemur & huic Veritati subscribimus; STANISLAUS tamen, dum sub Auspicijs Summi Ductoris Primiq; Doctoris AUGUSTINI militare incepit, protinus illi
  - - - - Mundusq; Caroq;
  Et Sathanæ rabies, ludicra, risus erant.

Evolvo rei cortinam: ita se in Religiosa Athletica gessit STANISLAUS, ut nihil à Vero ANNIBALIS Genio abluserit. Nimirum, si fama ingloriam Carthaginensis ANNIBALIS Campaniam per Orbis Universi Climata buccinat, nec Noster Sarmaticus ANNIBAL intrà Sacratiora LATERANENSIS CANONICÆ Claustra sine bello vixerat, fortunatior tamen Sarmatico, quàm Punico obtigit Victoria; Illa enim spem abstulit, gradumq; retardavit ad Quirini Capitolium, hæc in Cælesti Capitolio STANISLAUM certiùs epulaturum promittebat. Cælum sibi augustiùs quàm olim Chosrois fuerat, è Cella efformare sciverat Sanctior ANNIBALIS Lechici animus,

 festi-

festivioribus Asceticæ Vitæ seipsum devovendo & mancipando delicijs. O quantis AUGUSTINIANA hæc Capua ANNIBALEM Nostrum voluptatum illecebris implicuit! in quantos luxus dissolvit? Non defuerat exquisita lautæ gloria mensæ, palatoq; illius placentia edulia, quibus fastidiosam gulam, & ambitiosam famem, ita exsatiabat, ut vel ipsa hordeacea Ceres in usum Ei suaveq; obsonium cedere debuerit. Si Punicum ANNIBALEM Campana vina intantum emollierant, ut ipsam vitam Illi abstulerint, Nostro quoq; ANNIBALI aderant sua Symposia; quæ vel ipsi fluvij & fontes subministrare debuerant. Delicata hæc esse quis nesciat? quibus ille nè vilescerent, bis tantùm toto Quadragesimalis Jejunij decursu in septimana refici voluerat, & propter quæ etiam generosa vina contempsit. Planiùs dixero: Sanctior hic ANNIBAL maximas delicias reputavit, hordeaceô pane & aquâ defessum varijs laboribus refocillare corpus; omnibus persuadendo, nulla majora excogitari posse commoda, quàm dum tales cupediæ & potus hominibus sapiunt. Porrò si Pæni ANNIBALIS pænis dignissimâ superbiâ Historiographus describit calamus; humilis mea suada ut D. STANISLAUM ex toto Verum ANNIBALEM extitisse demonstret, Sanctioris fastûs notulam Illi adscribere cogitur, justè tamen; nam quidquid ille elevatiori mentis pupillâ conspexit, illicò despexit, quidquid Mundus solo tantùm nomine mundus ex pompis suis & commodis obtulit, Ille protinus piæ ambitionis calce conculcavit. Quodsi Punicum ANNIBALEM hactenus adhuc infandæ crudelitatis secula arguunt, quòd in Gelo flumine pontem ex humanorum cadaverum strue construxerit, & per illum exercitûs suiCopias traduxerit, quòd captivos Romanorum in itinere fessos primâ pedum parte præcisâ reliquerit; nec Noster ANNIBAL quidpiam de crudelitate remisit, cùm supra corpus proprium hoc totum exerceret, quidquid dulcis Tyrannus DEI Amor excogitâsse poterat. Et cùm bellè novisset, turpè esse Martis Alumno totam somno consumere noctem, nè huic dogmati in quopiam contravenisset, integras noctes in Anagogicis Actibus ceu in excubijs consumebat. Porrò si Carthaginensem ANNIBALEM ex fortitudine Ausoniæ Alpes acetô maceratæ & fractæ celebrant; adamantina & ex ipsis Caucaseis silicibus compacta obstinatorum peccatorum corda, arduas Alpes in se repræsentantia, plùs laudis Sarmatico ANNIBALI adaugent; in hoc mirabiliores Ausonijs, quòd illæ extrinsecùs sale & aceto macerari ferroq; confringi debuerint, hæ verò ad vocalem suavè tonantis suadæ sonitum interiùs in proprijs venis liquescere & diffluere viderentur. Et certè STANISLAO non satis fuerat ANNIBALIS Nomen, factaq; testari, etiam Philippum Macedonem

æmu-

æmulari voluit; argenteis ille haſtis teliſq; Urbes expugnare ſuaſerat, cùm ubi bellico ariete nihil efficitur, nummis parere & patere poſſe cenſuit. Didicerat hoc laudabile ſtratagema STANISLAUS, dum argentô in egenos profuſô Arcem Civitatis in quadro poſitæ munitiſſimam expugnabat. Carthaginenſes Suum Ducem ANNIBALEM poſt primam Cannenſem Victoriam, tanquam Numen aliquod ad ſe reverſum veneratos fuiſſe, ex hiſtorica fide didicimus: etiam Pallas Jagellonica in lætum exultantis animi applauſum pectora omnium reſolvebat; dum poſt palmares in Religioſa Arena Victorias, iterum ad ſe reducem Sanctiorem ANNIBALEM STANISLAUM conſpexerat; itaq; bellatorem ſtupuit, Victorem Theologicâ laureâ pro meritis coronavit. Serva jam vel tace detractos ad Cannas annulos, quos plenis modijs metiri ſciveras Punice ANNIBAL, ſorte Tibi illi obvenerant, jamq; pridem in ſpolium alijs ceſſêre; Noſter ANNIBAL unum tantùm in deſponſatione Honoris Theologici Doctoralem ſortitus Annulum, ſed, qui Eum cæleſti æternitati, cujus ille Symbolum eſt, inſinuavit & ſubarrhavit. Qvis ergo jam D. STANISLAUM CASIMIRITANUM verum ANNIBALEM vitâ factiſq; immortalibus in ſe expreſſiſſe negabit? Niſi fortè ille, cui Critico dente etiam Divorum famam carpere ſolenne eſt. Sed quiſquis talis eſt, in hac veritate ampliùs cæcutire deſinat, en D. STANISLAUM Sanctiorem ANNIBALEM extitiſſe; vel ipſæ Sereniſſimæ Cælorum Majeſtates perſuadent, ad cujus Heroicam fortitudinem & opera baſilica ſpectanda, ex Empyreis ſedibus, fortiſſimi olim Spiritualis Militiæ Ductoris D. STANISLAI Præſulis ſtipatæ comitatu deſcenderunt. Quis jam Virtuti Illius plauſus feſtivos negabit, ſi Ipſum Cælum in eoſdem ſe reſolvit, Coronam pro legitimis & pluſquam Herculeo robore exantlatis laboribus Sanctiori ANNIBALI promittẽdo, & ad majora his verbis incitando: *Fili mi STANISLAE, Tibi dico viriliter age & eſto robuſtus, Te enim unà cum Sanctis meis merces copioſa expectat in Cælis.* Tam lætum Nuntium eviſceratis in gaudia medullis dum excipit STANISLAUS, nos triſtes leſſos ingeminare fortè cogemur? quid ita? en liberalis in neces continuas Parca venenum lethale ANNIBALI Noſtro propinat; Eheu dolendum! revoco quæ dixi, imò potiùs in lætiores aſſurgendum Pæanas, nam Victor Inclytus STANISLAUS, ad quod toto vitæ curriculo tendebat, fortunatô paſſu, nobiliore ſui parte Animâ attigit Capitolium. Sed cur Ipſo Die Inventionis Divinæ CRUCIS illud invenerit? Delphicos Tripodes, ut ſecreti Cortinam revelent, ne fatiges; ita decuerat, ut ſub Triumphali Victoris à Ligno DEI Trophæo, Victorias ſuas peregiſſe, Nobileſque Laureas reportaſſe ANNIBAL Lechicus probaretur.

 Applau-

APplaude tam Excelsæ Virtuti Tuæ, Cui ego officiosè assurgo Sacratissima CANONICORUM LATERANENSIUM REGULARIUM CONGREGATIO: quòd in medio Tui invictos laboribus continuis pro DEO & Cælo Heroas producere noveris. Pridem Te totus Christianus Orbis, Seminarium Sanctitatis, Virtutum Officinam, Sanctorum Pantheon vectigali veneratus est homagio; Ego Te hodie Athleticam Heroum justè dixero; cùm inter alios æternitatis laureis jam pridem coronatos Athletas; etiã armatũ militari Panopliã Virum, D. STANISLAUM CASIMIRITANŨ, quẽ ego nunc ANNIBALEM cecini in publico exhibes ac præsentas. Applaude Tu quoq; felicitati tuæ Sarmatia, quòd tantũ Heroem enixa fueris. Applaudimus jam singuli Tibi Nobisq; Divinissime ANNIBAL STANISLAE, majora tamen adhuc plausûs accumulabimus acroamata; si vota nostra per tot lustra temporum cum cordolio repetita coronaveris. En ad Te Magnum satisq; disertum Oratorem Dolorem, expedit Patria nostra: ergo annue postulatis illius: Excubias o Fortissime Heroum ad mœnia illius hostilibus concussa machinis agere non desine; militari gloriæ natam Sarmatarum Indolem, ut quondam Punicus ANNIBAL Romã, nè otio torpescat, excitare non desiste. Certabit Tecũ mutuis affectibus Tua Nostrũq; omniũ Parens Patria, & pro immortalibus Tuis ausibus, non marmoreas, ut olim Antonius Punico ANNIBALI statuas, sed Corynthiacis Nobiliores, quia vivas Tuorumq; meritorum testes, perennis memoriæ in pectoribus eriget Columnas, ac Triumphali Tuo Capiti plures parabit Civicas. Mihi jam ultra progredi non est animus, cùm mihi sufficiat, quòd Virtutes Tuas Cælo teste in Athletica LATERANENSI exercitas; jamq; pridem illius calculo probatas & coronatas recensuerim, Teq; Novum Sarmatiæ ANNIBALEM, in perniciem omnium vitiorum Juratum, & ad certandum contra hostes Animæ semper excubantem, breviter demonstraverim.

